

aliquot immixtus ponduscula, quorum congeries tandem, ubi resistantiam orbiculi superasset, ad quinque ferè semuncias excreverat: quod idem ubi de minore quoque orbiculo tentatum esset, hunc etiam fundo situlae madido adhærescentem mirati sumus 3. ferè semunciarum tractioni restitisse sub aperto aëre locatum, qui antea sub aquei cylindri onere vix unâ alteraque drachmâ amplius valuerat. Ubi hoc insimul dissimulandum haut est, in his omnibus ponderandæ resistantiæ casibus, quos omnes ac singulos bis terve sub examen satis patienter revocavimus, haut rarò magnam tentaminis prioris à posteriore in eodem casu differentiam se nobis obtulisse, quam non sine causa credo à diversa orbiculorum positione, aliarum partium fundi contactu unâ vice, aliarum aliâ vice, madore item utriusque planitie nunc majore nunc minore &c. exortam judicavimus; dum interim hoc certum fixumque manebat, quod major orbiculus ubique plus virium adhærendo quàm minor exseruit.

X. Neque dum verò finis est observationum, quæ secundâ aliarum ex aliis generatione, si ullibi aliàs hîc certè, se multiplicabant nobis ne expectantibus quidem. A situlae lignae fundo vi contra pondii avulsum sub aquis incumben-
 tibus orbiculum ex aqua penitus protracturi, sensimus & hic aliquam resistantiam, eamque dignam quæ bilancis judicium pariter subiret. Quamobrem utriusque orbiculi vires etiam in hoc casu periclitati semel iterumque, deprehendimus ab aquæ superficie ipsos multò facilius potuisse divelli, quàm à madido situlae fundo; siquidem hanc separationem orbiculi majoris semuncia cum semisse, minoris autem drachma una cum semisse, valuerat exsequi. Ne verò quidquam intentatum relinqueremus quod intuitu scopi nostri, ad quem hæc omnia collineant, facere operæ pretium videbatur, de eo quoque experimento proprio volebamus esse certi, quod apud *Stevinum* alleg. superius loco traditur, orbiculum ligneum supra situlae perforatae fundum eadem vi deti-

Phenom.
XVIII.